

in Ossetz a nobis iure feudali tenuerunt et habuerunt, resignatione praedictae decimae per eosdem ad manus nostras sponte facta ad instantiam domini Sybotonis perpetui vicarii nostrae Misnensis ecclesiae nostri capellani appropriavimus hospitali sancti Laurentii civitatis Misnae consensu nostri capituli ad hoc liberaliter accedente. Quam decimam idem Syboto sua pecunia comparavit, ita quod ipsam decimam dictus Syboto et Johannes de Nurmberch avunculus suus Misnensis ecclesiae perpetui vicarii quiete possideant habeant et teneant temporibus vitae suae, ipsis vero de medio sublatis dicta decima devolvi debet integraliter sine qualibet contradictione ad dictum hospitale pro remedio animae suae et suorum progenitorum, ita tamen quod singulis septimanis legatur una missa pro defunctis et una pro peccatis cum commode fieri potest, et hospitalarius qui pro tempore fuerit comparabit unum stamen albi vel grisei panni pro tribus solidis grossorum Pragensium vel parum ultra, quem pannum in coena domini pauperibus dividet magis indigentibus, prout sibi visum fuerit expedire. Testes huius sunt dominus Henricus decanus Misnensis ecclesiae, Hermannus plebanus sancti Nicolai in Vriberch officialis noster, Herbordus et Vlricus perpetui vicarii eiusdem Misnensis ecclesiae et alii quam plures fide digni. In cuius rei testimonium nostrum sigillum praesentibus fecimus appendi. Actum et datum Misnae anno domini millesimo trecentesimo decimo septimo in vigilia assumptionis sanctae Mariae pontificatus nostri anno quinto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 31. 1327. 10. Aug.

*Der Decan des Hochstifts Lutold genehmigt die von dem Müller Jeckil geschehene Erwerbung der Mühle unter dem Judenberge unter der Bedingung, dass dieser selbst sowie künftige Käufer derselben den dem Hospital schuldigen jährl. Zins entrichten.*

In nomine domini amen. Quoniam ea quae geruntur in tempore simul recedunt cum lapsu temporis, unde necesse est, ea scripturarum testimonio et memoria perhennari. Hinc est, quod nos Lutoldus dei gratia decanus ecclesiae Misnensis recognoscimus publice per praesentes et ad omnium praesentem litteram intuentium notitiam volumus pervenire, quod Jeckil molendinarius iusto emptionis et venditionis interveniente titulo emit molendinum hospitalis nostri in Misna, situm sub monte Judaeorum pro quinque sexagenis et dimidia grossorum Pragensium super duo talenta annui census eorundem grossorum, consensu nostri capituli accedente iure hereditario possidendum. Quem quidem censum debet dare magistro hospitalis qui pro tempore fuerit in quatuor temporibus anni, videlicet in quolibet quartali anni medium talentum, excusatione qualibet praetermissa. Si autem necessitate aliqua ingruente vel causa legitima cogente dictum Jeckil idem molendinum vendere contingat, debet et potest vendere certo emptori censum similiter ad eundem, ne dictum hospitale in eodem censu aliquo modo defraudetur. Et ne super eo cuiquam dubium aliquod possit suboriri, in evidens testimonium praesentem litteram sibi dedimus nostri sigilli muni-